DISSERTATIONEM MEDICAM INAVGVRALEM

DE

OBSTRVCTIONE

ANNVENTE DIVINO NVMINE

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

D O M I N O

ERNESTO AVG. CONSTANTINO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM

ANGARIAE GVESTPHALIAE, RELIQVA

P R A E S I D E

GEORGIO ERH. HAMBERGERO

PHILOS. ET MED. D. PHYSIC. CHIMIAE ET PRAXEOS PROF. P. ORD.

SERENISSIMORVM SAXONIAE DVCVM STIRPIS ERNESTINAE CONSILIARIO AVLICO ACADEM. NATVRAE CVRIOSORVM SODALI CONCILII ACAD. ASSESSORE MEDICO PROVINC. IENENS. ET FACVLT. MEDICAE SENIORE

PRO GRADV DOCTORIS

LEGITIME MORE MAIORVM OBTINENDO

DIE XII. MAII M DCC LIII.

CONTRA ERVDITORVM DVBIA DEFENDET

A V C T O R

IOH. BERNHARD. GOTTSCHALCK BECKER

S C H A V M B V R G I C V S.

IENAE LITTERIS RITTERIANIS.

I. N. I.

§. 1.

CAVITATES corporis humani in ſtatu naturali conſtitutae duplicis ſunt generis, quaedam enim in ſtatu ſano vndique ſunt clauſae, aliae ſunt apertae, et hae vel in vno loco tantum, vel vtrinque conſtanter ſunt apertae. Cauitates vndique clauſae vel conſtanter ſunt et permanent clauſae, vel interdum in ſtatu naturali aperiuntur. Ad priorem claſſem pertinent, cranii, pectoris, abdominis et oſſium maiorum, ad articulos pertinentium, cauitates, et harum officium eſt continere tantum contenta in ſuo loco; alterius vero claſſis, cauitatum nempe clauſarum quae interdum aperiuntur, duae rurſus dantur ſpecies, aut enim retinent ad tempus transmittendum corpus, adeoque continent etiam partes noſtri corporis in ſuo loco, aut nihil retinent, ſed vnice, non tamen conſtanter, ſed per interualla tantum, transmittunt. Ad priorem ſpeciem pertinent ventriculus, inteſtina, veſica, vterus, relatiue ad foetum, veſiculae ſeminales, glandulae folliculo praeditae, vt

glandulae inteſtini duodeni, veſicula fellea &c. ad alteram ſpeciem vero referri poſſunt oeſophagus, vreteres, tubae Fallopii &c.

§. 2.

Cauitates in vno tantum loco clauſae in altero conſtanter apertae aut conſtanter, aut ad tempus tantum, in vno loco ſunt clauſae. Priores aut continent tantum aliquid, vti orbitae oculorum, aut admittunt et dimittunt aliud corpus. Huc pertinent ſinus oſſium frontis, ethmoidei, ſphenoidei, maxillarium, laryngis aſperae arteriae bronchiorum et cellularum pulmonalium cauitates, tanquam vna conſideratae cauitas, vterus relatiue ad fluida &c. poſteriores tunc tantum aperiuntur, ſi transmittendum vel admittendum quoddam eſt corpus; v. g. meatus auditorius in hiatu Riuiniano, tubae Euſtachii in faucibus, ventriculi cordis, vrethra ad collum veſicae, arteriae vbi ex baſi cordis oriuntur &c. Ad cauitates denique vtrinque conſtanter apertas pertinent auriculae cordis, venae, canalis arterioſus in foetu, nares &c.

§. 3.

Omnibus cauitatibus, quae aliquid transmittunt, competit potentia transmittendi decens, ſeu determinata in ſtatu ſano. Nititur vero iſta potentia decenter transmittendi, in canalibus ſemper vel vtrinque apertis, in decenti magnitudine aperturae relatiue ad magnitudinem transmittendi, in canalibus vero clauſis in decenti relatione virium dilatantium et claudentium canalem.

§. 4.

Oppoſitum potentiae naturalis morbus appellatur;

tur;

tur; ergo quoque impotentia decenter transmittendi ea, quae transmitti debebant, morbus erit, qui obſtructio adpellatur et ad morbos conformationis, ſpeciatim cauorum, ſeu figurae internae, refertur. Cum igitur cauſa potentiae duplex ſit, etiam obſtructionis cauſa duplex erit, nempe vitioſa quaedam ratio inter magnitudines transmittendi et aperturae, in canalibus ſemper vel vtrinque apertis, vel virium dilatantium quantitas in relatione ad vires claudentes iuſto minor, in canalibus clauſis. Quamquam etiam hic ratio vitioſa magnitudinum transmittendi et aperturae transmittentis, et, in canalibus ſemper vel vtrinque apertis, virium dilatantium et reſiſtentium vitioſa ratio locum habeat.

§. 5.

Vitioſa magnitudinum ratio transmittendi et cavi transmittentis, quatenus eſt cauſa obſtructionis, generatim quidem in eo conſiſtit, quod magnitudo transmittendi in relatione ad magnitudinem caui transmittentis ſit iuſto maior, quia tamen omne quantum vitioſum in corpore humano ex quantitate, quae in ſtatu naturali adeſſe et Medico cognita eſſe debet, iudicandum eſt, etiam huius vitioſae conſtitutionis ſiue rationis cauſa haerebit, vel in magnitudine maiore transmittendi, vel in magnitudine minore canalis transmittentis, relatiue ad ſtatum naturalem, vel in vtrisque ſimul.

§. 6.

Si canales ſint ſemper vel in vno loco vel vtrinque aperti, et corpus transmittendum ſit fluidum, nullus cogitari poteſt caſus, in quo ſola magnitudo fluidi maior cauſam daret obſtructionis, quia fluidum per

canales apertos facile mouetur, nisi sint angusti admodum, modo vis mouens sufficiente quantitate adplicari queat; quod si vero vires simul considerantur, tunc, si quantitas fluidi maior minuit vim mouentem, obstructio oritur. Exempla infra §. 27. et 28. dabo.

§. 7.

Quodsi igitur sola transmittendi maior magnitudo sit causa obstructionis, hoc in solidis transmittendis tantum fieri potest; in quo casu corpus transmittendum solidum vel in corpore est generatum, vel ab extra in corpus delatum. Ad priorem classem spectat, a) si fluidum coagulatur, seu sit magis cohærens, vt si sanguis sit grumosus, vel alio modo spissus, tunc enim ob magnitudinem, ex cohæsione ortam, per vasa minora transire nequit, vel si vrinae in vesica sanguis coagulatus, vel pituita vitrea, miscetur, vel si chylus in intestinis, vel in glandulis mesenterii, coagulatur; b) si ad canalem, qui fluida subtiliora tantum transmittere debebat, accedat particula fluidi crassioris, vt si globulus sanguinis in vasa penetrat serosa, vel globulus serosus in vas lymphaticum arteriosum, id quod BOERHAAVIVS errorem loci vocat; c) si ex fluido oriatur solidum vt in calculo, in vreteribus, vesica vel vrethra haerente. d) Si, quod naturaliter molle, ergo figurabile, esse debebat, fit durum, vt si feces indurentur; e) si solidum non figurabile figuram habeat oblongam et diametro sua maiore transuersim aperturae adplicetur, id quod in partu fieri potest; f) si solidum naturalem excedat magnitudinem vt foetus nimis magnus. Ad posteriorem pertinent classem peregrina in cauitates delata, v. g. semina paulo

fo maiora meatui auditorio intrufa, folida deglutita et vel in oefophago vel circa pylorum in ventriculo fubfiftentia, quale exemplum refert KERCKRINGIVS * de nummo pylorum occludente.

§. 8.

Aperturae naturales fiunt minores, quam pro ftatu naturali effe debebant, vel vi fua propria, vel aliena. Propria vi ifti tantum canales anguftiores fieri poffunt quorum parietes funt mufculofi, vel faltim flexiles. Mufculofis parietibus duplex competit vis, vitalis nempe, a fpirituum et fanguinei fluidi influxu dependens, et phyfica, fiue conatus fefe contrahendi ob cohaefionem partium inter fe, quem conatum elaterem adpellare folent. Ex vi vitali aucta fefe contrahunt mufculofae partes, fi a quacunque irritentur caufa, v. g. ab acri, vel alio peregrino illato, v. g. in afperam arteriam, ventriculum, inteftina &c.; ex vi vitali naturali vero, fi influxus vel copia decens fluidi diftendentis, vel in ipfo canali vnitas deeft. Ex vi phyfica vero coarctantur vafa vtrinque et femper aperta 1) refiftentia contenti in vafe imminuta; id quod ab euacuationibus nimiis, quocunque modo fientibus, fieri poteft, quorfum etiam nutritio deficiens pertinet; 2) vnitate earundem fublata, omnes enim noftræ fibrae flexiles funt elafticae, et perpetuum exercent conatum fefe abbreuiandi; huic vero conatui, quatenus fit in fingulis particulis, quamquam ex cohaefione partium oriatur, cohoefio tamen reliquarum refiftit, fi fibrae quaedam partes, ob connexionem cum aliis non cedenti-

* Obferuat. Anat. 1.

dentibus, ſint ſaltim relatiue immobiles; ſublata igitur quarundam partium cohaeſione, reliquae non reſiſtunt; ergo, cum et fluida minus reſiſtant, quippe quae per locum apertum cedunt, ſeſe contrahunt. 3) Cohaeſione partium, fibras conſtituentium, aucta, id quod humidarum et ignearum particularum ablatione, ergo defectu potus, humidi euacuatione maiore, eiusdem diſſipatione per calorem maiorem, et frigore et ſenectute fieri poteſt.

§. 9.

Vires alienae, ſi ſint ſatis magnae, omnia caua noſtri corporis anguſtare poſſunt; etiam iſta, quorum parietes ſunt oſſei. Generatim vero poſſunt diuidi, quod vel ab extra canalibus adplicentur, vel intra caua, vel in parietibus cauorum haereant. Vires, quae externe vaſi adplicantur, vel ſunt partes corporis humani, vel ad corpus humanum non pertinent. Vis intra caua haerens et magnitudinem caui minuens eſt omnis cohaeſio p. n. cum parietibus caui ab intra. In ipſis parietibus vero incrementum craſſitiei parietum, interiora verſus tendens, eſt vnicum iſtud quod tanquam vis aliena caua minora reddere poteſt.

§. 10.

Vires externae quae plane ad corpus humanum non pertinent et caua eiusdem coarctant infinite variare poſſunt: maxime tamen notari merentur ligaturae chirurgorum, menbris fractis vel luxatis adplicatae, ſi magis conſtringantur quam vires aegroti ferre posſunt. De iis tamen omnibus notandum.

1) Iſtas quidem omnes iſta ui, quae vaſa extendit, maiores eſſe debere, minores tamen quam cohaeſio parietum;

rietum; maiores enim ſi ſint, non obſtructionem ſolum, ſed et ſolutae vnitatis morbum efficiunt, de quo iam non ſermo eſt.

2) Quo minores ſint vires, eo diutius et absque intermiſſione vt adplicatae maneant neceſſe eſſe, antequam, obſtruendo vaſa, actiones manifeſte laedere queant; non enim omnis caui anguſtatio impotentiam decenter transmittendi infert; quia conſtitutiones naturales, et inde ortae potentiae naturales, variare poſſunt in maius et minus, ſalua ſanitate; hinc eſt, quod ligaturae, quibus amictum firmare ſolemus, ſanitatem non laedant, quamuis certum ſit iſtis vaſa coarctari.

3) Omnes iſtas agere debere verſus interiora caui, non vero ſecundum longitudinem vaſis obſtruendi, elongatione enim noſtra non coarctantur vaſa. Quamquam enim canales vitrei candentes extenſione coarctentur, hoc ſimile tamen ad noſtrum non poteſt adplicari corpus. In canalibus enim candentibus vitreis coarctatio fieri poteſt; quia interne nullum adeſt fluidum extendens canalem, actu vero fit, quia vitrum candens eſt corpus fere fluidum, cuius partes, quamquam extendendo ſemper quaedam auferantur, ſtatim ſeſe ex cohaeſione vniunt; vnde, cum numerus earum, ſecundum latitudinem et craſſitiem poſitarum, extendendo minuatur, reſiduae pauciores non poſſunt non minus occupare ſpatium. Haec omnia vero in noſtris vaſis fieri nequeunt, quia haec fluido preſſo quaquauerſus tendente ſunt repleta, et eorum parietes ad fluidorum non accedunt naturam.

§. II.

Partes noſtri corporis, quae comprimant noſtra

vaſa,

vaſa, ſunt vel fluidae vel ſolidae. Fluidae partes vel pondere, vel elatere proprio, vel quatenus a corde et arteriis premuntur, comprimunt; ſolidae vero vel pondere ſuo, vel quantitate ſua p. n. increſcente, vel quatenus a muſculis trahuntur vel tenduntur, vel a vi externa e ſuo pelluntur loco, id efficiunt.

§. 12.

Fluidae partes, niſi ſint extrauaſatae vel vaſa iam obſtructa, pondere ſuo alia vaſa, ſimili fluido repleta, comprimere nequeunt. Vaſa enim ſimilibus fluidis repleta ſunt connexa; ergo aucto, per quantitatem maiorem, pondere, hoc aeque in comprimendo ac in comprimente vaſe erit auctum, ergo vires comprimentes et reſiſtentes ſunt aequales, nulla ergo ſequitur compreſſio. Vnde plethora nec vaſa minora, in parietibus vaſorum maiorum haerentia, nec extremitates venarum minores, comprimere poteſt, niſi ſanguis ſpiſſitudine ad penetrationem in vaſa minora fiat ineptus. Nerui tamen vel alia vaſa, fluidum minori pondere praeditum vehentia, a vaſis ſanguiferis tam arterioſis, quam venoſis ſanguine, vel aliis quoque vaſis alio fluido repletis, comprimi poſſunt. Huc pertinet compreſſio neruorum ab vreteribus vrina repletis. Lympha quoque in hydrope extravaſata pondere ſuo vaſa cutanea, praecipue in pedibus comprimere poteſt; haec enim non agit in orificia vaſorum cutaneorum, ſed eadem lateraliter tantum comprimit.

§. 13.

Elatere ſuo vix aliud fluidum, quam aër, compreſſionem vaſorum efficere poteſt: reliqua enim flui-

da

da non, niſi ob aërem commixtum, ſunt elaſtica. Ab aëre vero elaſtico, vbicunque ſiue naturaliter ſiue praeternaturaliter haereat, omnia vaſa adiacentia mollia comprimi poſſunt, quam primum elaſticitas reſiſtentia ſuperanda maior eſt. Sic nonnunquam in colica vreteres, et vaſa ſanguifera, praecipue in parietibus inteſtinorum haerentia, immo, interdum absque colica, nerui ad muſculos femoris decurrentes comprimuntur, ſi inteſtina ſint debilia; vnde interdum claudicatio oritur. Ductus quoque cholidochus et vaſa chylifera ab aëris inteſtinalis elatere aucto comprimi poſſunt.

§. 14.

Cum Maſſa ſanguinea, quatenus a corde eſt preſſa, niſi iam obſtructio adſit, quaqua verſus premat aequaliter; hac actione nec vaſa minora, in parietibus arteriarum maiorum haerentia, nec venarum radices, iuxta extremitates arteriarum decurrentes, comprimere poteſt. Fluidum enim in minoribus vaſis, quae parietes conſtituunt vaſorum maiorum, tanto gradu, quanto fluidum in maioribus vaſis eſt preſſum, et, quamquam ſanguis in venis ſit fluidum minus preſſum, quam in arteriis, creſcente tamen preſſione in arteriis, creſcit quoque preſſio in venis, et arteriarum parietes, magis quoque reſiſtunt preſſioni ſanguinis maiori, vnde arteriae venas comprimere nequeunt. Quod ſi vero obſtructio quaedam ex alia quadam cauſa adſit, qua fluidum in canali obſtructo fit magis preſſum, vel ſi robur vaſorum quocunque gradu et ex quacunque cauſa imminuatur, ita vt praeternaturaliter dilatentur, vel fluidum extrauaſetur; tunc vaſa vicina praecipue venoſa, quippe minus reſiſtentia, comprimi queunt.

§. 15.

Solidae partes noſtri corporis naturales pondere ſuo naturali vix vnquam vaſa comprimunt, niſi pars parti incumbat, quae vel plane non, vel per breue tantum tempus, aliis incumbere debebat. Sic ſi ſedendo pes alter alteri imponitur, vel homo ex morbo diu decumbat; vaſa in pede et cute comprimuntur. Quodſi vero pondus vna cum magnitudine creſcat, vel noua pars ſolida producatur, vel vires, naturali ponderi ſuſtentando deſtinatæ, debilitentur; facile vicina et flexilia comprimuntur vaſa, partim pondere comprimentis, partim quatenus ob maſſam maiorem non cedunt et maius occupant ſpatium, partim quia ambientes partes magis expandunt, vnde hae elatere aucto verſus interiora agunt et caua comprimunt. Sic vterus grauidus, venam cauam comprimendo, varices in pede producit; foetus, tempore partus capite ſuo oſſi pubis incumbens, veſicam comprimit; pinguedo nimia vt cutis abdominis comprimat cutem femoris efficit, vel interne, cauitates magis replendo, viſcera comprimit; hydropes ſaccati, vel aliae excreſcentiae in abdomine, inteſtina et omnia reliqua viſcera comprimunt; vterus ex debilitate ligamentorum deſcendens inteſtinum rectum pariter ac vrethram comprimit, et excreſcentiae oſſeae vicina comprimunt vaſa.

§. 16.

Oſſa luxata vel fracta vaſa omnis generis in ea plaga, quam verſus dislocatio facta eſt, haerentia, comprimunt, quae compreſſio interdum per muſculorum irritatorum ſpasmum augetur.

§. 17.

§. 17.

Cohaeſio praeternaturalis alicuius materiae in ipſo cauo haerentis (§. 9.) oritur, vel a materia ſolida vel fluida. Ad concreta ſolida, caua anguſtantia, pertinent a) polypi narium, bronchiorum, cordis, b) carnes luxuriantes ex vlcere praegreſſo; ſic interdum poſt dyſenteriam in inteſtino recto generatur caro luxurians alui excretionem impediens, immo ruſticus, ex concusſionibus rhedae, cum equos dirigeret, primo mictum ſentit cruentum, quem excepit alui et vrinae interceptio ſuccesſiue creſcens, ab excreſcentia ex ano protuberante.

§. 18.

Fluidas partes p. n. ſpisſas etiam vaſorum parietibus plus iuſto adhaerere, dubitare non licet. Hoc ſi fiat tanto gradu, vt impellenti non cedant fluido, et quidem in vaſis noſtri corporis anguſtisſimis; aut plenarie clauſa erunt vaſa, aut ſaltim in tantum anguſtiora erunt, quantum eſt ſpatium, quod adhaerentes parietibus particulae et per caua non tranſeuntes occupant. In iis cauis, ad quae aër accedere et fluida ibi haerentia, humidi ablatione, inſpisſare poteſt, quamquam ne quidem ad anguſta, multo minus ad anguſtiora vel anguſtisſima, referri queant, ob incrementum perpetuum viſcidarum partium, ex harum tamen cum parietibus cohaeſione maiore, canalis non ſolum anguſtari, ſed et plane claudi poteſt. Exempla dant bronchia, aſpera arteria, larynx et nares. Huc pertinet etiam obturatio orificiorum vaſorum lacteorum, vel aliorum vaſorum abſorbentium, per viſcidum pituitoſum vel oleoſum, in primis viis vel alibi reperiundum.

§. 19.

Incrementum craſſitiei naturale parietum vaſorum caua eorundem non anguſtare experientia abunde docet. Quamquam enim a primo corporis humani ortu craſſities parietum conſtanter creſcat, caua tamen vaſorum inde non anguſtantur, ſed ampliora ſimul fiunt. Praeternaturale igitur debet eſſe incrementum, i.e. obſtructio et tumor in parietibus caui, vel in partibus ſolidis intra caua haerentibus, oriri debet, vt exinde amplitudo caui anguſtetur. Exempla quae huc ſpectant ſunt tumor faucium, membranarum narium, tunicarum cartilaginum arytaenoidearum, vuulae et linguae; vbi notandum, omnes hos parietes a) in omnibus plagis cauo oppoſitis maiorem quam in cauo habere reſiſtentiam, ita, vt extrorſum vel plane non vel parum expandi queant; b) fluidum vero in his cauis contentum, aërem nempe, facillime cedere, adeoque parietum expanſioni interiora verſus non reſiſtere, c) raro quoque ſi vnquam ſimul in toto ambitu tumere, et d) figuram eorumdem non eſſe circularem, inde vero, ſi non abſolute certum, ſaltim maxime probabile fit, ſimilem anguſtationem caui ex tumore, ſaltim aequali, parietum in vaſis circulari ambitu praeditis fieri non poſſe. Eiusmodi vaſa enim fere quaquaverſus extrorſum poſſunt expandi, minimum tanta non eſt reſiſtentia, ſi extrorſum expandantur, quanta erit, ſi partes in peripheria circulari poſitae omnes ſimul interiora verſus, adeoque in minus ſpatium pellerentur. Fluidum quoque preſſum, quo haec vaſa ſemper ſunt repleta, imminutionem caui tantum impedit, quantum tendentiam tumoris extrorſum auget.

§. 20.

§. 20.

Istam hactenus obstructionis speciem consideravimus, quae in cauis transmittentibus ante transmissionem iam apertis locum habet, et cuius causa immediata, seu constitutio p.n. consistit in vitiosa ratione magnitudinis caui ad magnitudinem corporis transmittendi. Iam ad alteram accedamus speciem, quae in vasis tempore transmissionis demum aperiendis occurrit, et cuius constitutio p. n. siue causa immediata, est ratio vitiosa inter vires dilatantes et claudentes canalem. Occurrunt eiusmodi obstructiones in oesophago, ventriculo, in intestino ileo ad valuulam coli, in vesicula fellea, in ano, vesica, vreteribus, vteri orificio interno et vagina, tubis FALLOPII, EVSTACHII, immo certo respectu in ipso corde et arteriarum extremitatibus.

§. 21.

Constitutio p. n. seu ratio vitiosa inter vires dilatantes et claudentes cauitatem, generatim quidem in eo consistit, quod vis dilatans iusto minor sit, quam pro resistentia parietum caui esse debebat, quod si tamen quantitas p. n. secundum statum sanum determinatur, aut vis mouens erit minor, quam in statu sano esse debebat, aut resistentia maior erit, quam in statu sano, aut vtrumque simul aderit.

§. 22.

Vis transmittendum mouens, varia quidem esse potest, si eam consideras, quae immediate mouendo corpori adplicatur, primaria tamen vis, si a pondere adhaesione et elasticitate fluidorum recesseris, quae mouet transmittenda, per canalem semper in statu naturali

rali clausum, est pars quaedam musculosa nostri corporis. Vt vero musculus decenter agere queat, requiritur vt 1) eius fibrae sint integrae et decenti gaudeant tono physico, i. e. vt sint quidem flexiles, nec tamen flaccidae nec rigidae; 2) vt spiritus animales, itemque sanguis, decenti adsint, tam quantitate quam qualitate. Vulnus ergo ruptura, contusio, vlcus, laxitas, strictura, spasmus, mutatio consistentiae in cartilagineam vel osseam alicuius musculi mouentis, spirituum defectus, sanguinis quoque defectus, abundantia, spissitudo aeque et rarefactio, sunt istarum obstructionum causae, quae a defectu fiunt vis mouentis.

§. 23.

Inflammatio ergo et paralysis Laryngis, atonia, vulnus et paralysis ventriculi, intestinorum, vesicae, vesiculae felleae, ruptura vteri in partu, consumtio virium ex partu nimis protracto, haemorrhagiae praecedentes &c. sunt causae obstructionum horum viscerum.

§. 24.

Vires resistentes siue claudentes sunt vel musculi, ex vi vitali sese contrahentes, vel aliae menbranosae partes; priores a quocunque acri, siue physice siue mechanice tali, v. g. corpore acuto, irritati, maiori gradu sese contrahunt, quam vt a naturali vi expandente superari queant, vel etiam, si musculus claudens antagonista quodam gaudeat, antagonista debilitato sese contrahit: quamquam enim haec contractio in se spectata maior non fiat, quam erat ante musculum antagonistam debilitatum; maior tamen est relatiue ad vires dila-

dilatantes, iam praeſentes, quarum pars, actio nempe muſculi antagoniſtae, iam deeſt. Vtraeque vero aucto tono, craſſitie vel ſtrictura, vel nimia fibrarum breuitate, vel membranae, ſiue a natiuitate ſiue poſt morbum, p. n. productione, magis reſiſtunt quam pro ſtatu naturali reſiſtere debebant.

§. 25.

Sic paralyſis muſculorum Pharyngem dilatantium, vulnus vel inflammatio oeſophagi, ſpasmus eiusdem a peregrino illato, occalleſcentia eiusdem a potu nimis frigido diu continuato, inflammatio vel tumor tonſillarum, vel alius faucium partis, inflammatio vel ſcirrhus pylori, valuulae coli, ani, ceruicis veſicae, orificii vteri interni, paralyſes veſicae, inteſtinorum, vteri, nimia fibrarum vaginae vteri breuitas, menbranae quibus meatus auditorius, anus, vagina vteri clauduntur, maior tonus fibrarum vteri et omnium partium adiacentium ex aetate maiore in primiparis, tubarum FALLOPII vel EVSTACHII concretio ex inflammatione vel alia laeſione praegreſſa, obſtructiones harum partium producere ſolent.

§. 26.

Vti vero eo, quod in cauis, in ſtatu ordinario clauſis, rationem vitioſam virium mouentium et claudentium tanquam cauſam obſtructionis adduximus, minime alteram obſtructionis cauſam generalem, vitioſam nempe magnitudinis rationem inter corpus transmittendum et cauitatem transmittentem, excludere volumus, omnes enim iſtae ſupra adductae cauſae etiam in canalibus ordinarie clauſis locum habent; ſic et, in canalibus ſemper apertis, virium

mouentium et resistentium vitiosa ratio causa obstructionis esse potest.

§. 27.

In statu enim naturali

a) vis fibrarum cordis spiralium in systole, vi fibrarum cordis longitudinalium cor dilatantium, sanguinis quantitati, gelatinositati et arteriarum tam vi physicae, quam vitali,

b) vis fibrarum cordis longitudinalium vi fibrarum cordis spiralium,

c) vis arteriarum quantitati et gelatinositati sanguinis, et tono extremitatum arteriosarum,

d) vis diaphragmatis, musculorum et integumentorum abdominis resistentiae,

e) vis vitalis musculorum abdominis, ponderi contentorum in abdomine et diaphragmatis resistentiae,

f) vires musculorum intercostalium externorum, vi internorum, et elateri cartilaginum ponderi pectoris,

g) vis musculorum intercostalium internorum, vi musculorum intercostalium externorum,

h) vis fibrarum musculosarum bronchialium vitalis, membranarum pulmonalium elastica, elasticitas aëris inter pulmones et pleuram haerentis, coniunctim, impetui aëris externi in pulmones irruentis,

i) vis fibrarum ventriculi et intestinorum, ponderi alimentorum assumtorum et isti aëris intestinalis elasticitatis gradui, quo elasticitate aëris externi maior est,

ita debet esse proportionata, vt vna, per quasdam circum-

cumſtantias aucta, alteram ſemper decenter ſuperare queat. Ex quo ſequitur vt vna harum virium antagoniſtarum magis quam par eſt aucta vel imminuta, decens transmisſio transmittendi fieri nequeat.

§. 28.

Sic, vt quemlibet caſum exemplo illuſtremus ſpeciali;

ad a) plethora nimia, ſpisſitudo ſanguinis pituitoſa, melancholica et inflammatoria;
ad b) ſpasmus fibrarum cordis vel longitudinalium vel ſpiralium,
ad c) rigiditas fibrarum ex ſenectute vel labore et calore maiore, et ſpasmi arteriarum,
ad d) tenſio muſculorum abdominis nimia, a tumore abdominis nimio, ex cauſa quacunque,
ad e) incrementum ponderis contentorum abdominis ex aſcite, hydrope ſaccato, vel aliis excreſcentiis magnis, hepatis vel lienis tumore, foetu circa vltimos menſes vel mola, itemque muſculorum abdominis flacciditas, poſt foetus excluſionem vel paracentheſin,
ad f) et g) ſpasmi muſculorum intercoſtalium vel diaphragmatis,
ad h) impetus aëris nimius in pulmones, ſiue tanquam ventoſus ſiue tanquam reſiſtens tantum agat in pulmones, quod vltimum tunc fieri ſolet, ſi, erecto corpore et praeprimis ore aperto, maxima equitemus celeritate. Quamquam enim pectus ſeſe conſtringat, et, aërem inter pulmones et pleuram haerentem comprimendo, huius elaterem augeat

quia tamen constrictio pectoris ad certum tantum spatium fieri potest, etiam elater aëris pectoralis ad certum tantum gradum augeri potest. Cum vero impetus aëris externi, in pulmones irruentis, in ratione quadratorum suae, vel hominis equitantis, celeritatis crescat, facile fieri potest, vt impetus aëris in pulmones irruentis maior euadat elatere aëris pulmonalis; ergo vt nulla sequatur exspiratio, quamquam pectus alterne sese expandat et contrahat;

ad i) ventriculi nimia repletio, praeprimis per esculenta; nimia fecum vel aëris in intestinis collectio,

obstructiones, quarum symptomata sunt lipothymia, syncope, asphyxia, respiratio difficilis vel suffocatio, excitare solent.

§. 29.

Exposuimus hactenus obstructionum pathologiam; ex qua simul differentia obstructionum patet. Ratione enim vel canalium obstructorum, vel causae, obstructionem inferentis, differunt. Vtrumque, cum ex antecedentibus satis pateat, praetermittimus, et ad obstructionum accedimus diagnosin, qua vel ipsius obstructionis praesentia, vel gradus eiusdem, vel locus obstructus, vel causa eiusdem cognoscitur.

§. 30.

Transmissiones naturales vel in sensus incurrunt vel non incurrunt in sensus. Transmissiones naturales in sensus incurrentes sublatae, adeoque obstructiones, facile ab omnibus cognoscuntur vsu rationis praeditis, medicis aeque ac aegrotis, quia omnibus istis

sunt

ſunt notae. Internae obſtructiones vero tunc cognoſcuntur, ſi actiones vel qualitates quaedam, quae a transmisſione alicuius corporis pendent, ſunt laeſae. Sic

a) a ſenſu et motu voluntario omni abolito ad cerebri obſtructionem,
b) a motu cordis abolito ad cerebelli, vel ipſius cordis, vel totius arteriae pulmonalis, vel totius arteriae magnae, vel ſaltim maximae partis earundem, obſtructionem,
c) a ſenſu, vel motu, vel vtroque in parte quadam, ad ſenſum integra, ablato, ad obſtructionem in neruo,
d) a coecitate vel ſurditate ad obſtructionem in oculo vel aure,
e) a ſiccitate in ore ad obſtructionem vaſculorum excretoriorum in ore,
f) a vomitu vel ſingultu ad obſtructionem in ventriculo,
g) a cutis colore flauo, vel fecibus albis, vel bilioſis, ad hepatis obſtructionem,
h) a tumore, duritie vel renitentia, vel dolore viſcerum aliarumque partium, ad obſtructionem eorundem concludere ſolemus. Immo
i) haud raro color, pelluciditas, figura et laeuitas partium noſtri corporis mutata obſtructionem indicant.
k) ex fecum quoque duritie et ſiccitate glandularum inteſtinalium obſtructionem cognoſcere licet.

§. 31.

Gradus obſtructionis ex gradu ſymptomatum, vel qualitatis mutatae, vel etiam aetate obſtructionis

cognoſcitur. Locus vero obſtructionis partim ex loco cui cauſa remota eſt adplicata, partim ex circumſtantiis ſpecialiſſimis, ſymptomatibus iunctis, iudicandus eſt. Negari tamen nequit, haud raro ſpecialiſſimum obſtructionis locum a medico cognoſci non poſſe; ex qua ignorantia tamen nullum aegroto timendum eſt incommodum, cum, ſi vel maxime cognitus eſſet obſtructionis locus, alia tamen medendi methodus adhiberi non poſſet, non enim dantur remedia interna topica, et eadem manet medendi methodus, ſiue dexter ſiue ſiniſter pulmonum lobus, ſiue pars hepatis concaua ſiue conuexa, ſiue inteſtinum ieiunum ſiue ileum, ſit obſtructum, et topica externa, in morbis internis profundis, tanquam topica parum iuuant.

§. 32.

Maioris longe momenti eſt cognitio cauſae morbi. Aliter enim agere debet medicus ad remouendam obſtructionem, ſi liquida, aliter ſi ſpiritus, vel flatus, vel fibrae muſculares, vel quaecunque aliae partes molles, vel oſſa, vel peregrina interna, vel peregrina externa cauſam obſtructionis conſtituant materialem, ſeu mediatam proximiorem; contra hanc enim ſemper cura morbi eſt dirigenda, et ad dictas claſſes omnes ſupra adductae cauſae obſtructionum reduci queunt.

§. 33.

Ad liquida noſtri corporis pertinent ſanguis, ſerum, lympha, ſaliva, bilis, ſemen, chylus.

§. 34.

Sanguinem eſſe materiam quae obſtructionem efficit, ex lipothymiis, anxietatibus, pulſu intermittente,

pal-

palpitatione cordis, laſſitudine vniuerſali, calore imminuto, vel, ſi in quadam tantum parte non adeo magna ſubſiſtat, ex dolore, primitus pungente dein ardente, interdum etiam tendente vel pulſante, et, ſi partes obſtructae viſui vel tactui pateant, ex rubore, tumore et renitentia cognoſcimus.

§. 35.

Serum lympham vel ſaliuam eſſe materiam obſtruentem iudicamus, ſi tumor et dolor in partibus haereat glanduloſis, tumor ſit colore naturali praeditus, interdum mollis, dolor tendens magis quam acutus, vel pruriens, non vrens, et partes quae tangi vel videri poſſunt ſint ſiccae, vel, quae pellucidae eſſe debebant, ſint opacae.

§. 36.

Ad bilis ſtagnationem ex dolore tenſiuo leni tamen in regione hypochondriaca dextra, praecipue ſi anxietates praecordiales, ordinariis remediis non cedentes, accedant, fecibus, vel non coloratis, vel nimium bilioſis, vomitu bilioſo, vrina, cute, vel tunica oculorum albuginea flauis, concludi poteſt.

§. 37.

Seminis ſtagnatio vix alibi quam in teſticulis occurrit; ibi vero ex tumore et dolore teſticulorum, lente increſcentibus, potiſſimum cognoſcitur. Chylum denique obſtructionis eſſe cauſam ex fecibus in fruſta multa minora alba ſeu caſeoſa diuiſis, tumore abdominis duro et decremento reliqui corporis iudicare licet.

§. 38.

Si eadem liquida non ſolum ſint ſubiectum ſtagnans

gnans ſed in ipſis quoque cauſa haereat obſtructionis, peccabunt vel copia nimis magna, vel nimis parua, vel erunt coagulata, vel inſpiſſata, vel rarefacta, vel extrauaſata. Hae liquidorum conſtitutiones p. n. partim ex cauſis non naturalibus et naturalibus praegreſſis, partim ex aliis ſignis ſunt cognoſcendae, cognitae vero tanquam cauſae ſunt quoque obſtructionum, tam praeteritarum quam praeſentium et futurarum, ſigna.

§. 39.

Spiritus eſſe materiam ſtagnantem non niſi ex ſenſu vel motu, abolitis vel imminutis, itemque ex nutritione in parte quadam deficiente, cognoſci poteſt, niſi alia cauſa manifeſta horum ſymptomatum adſit. Fiunt vero ſpiritus cauſa obſtructionis, ſi vel nimio in muſculos inflexu ſpasmum inferant, vel, nimia cum ſanguine miscela, hunc plus iuſto rarefaciant, vel quantitate peccent deficiente; quorum illud ex animi pathematibus vehementioribus, motu corporis maiore, ſpirituoſis vel fermentantibus fermentatisque vel aliis acribus aſſumtis, vel in corpore ortis vel eidem adplicatis, hoc vero ex animi affectibus deprimentibus, ſpiſſitudine humorum ipſorumque ſpirituum, vel defectu eorundem ex quacunque cauſa fieri poteſt.

§. 40.

Aërem eſſe fluidum cuius motus eſt impeditus partim dolores, praecipue locum mutantes et in abdomine occurrentes, partim tumores magni tactui non admodum renitentes et ſenſibili pondere non praediti, vt in tympanitide et emphyſemate, partim motus ſanguinis ſublatus, indicant. In hoc vltimo tamen caſu aliun-

aliunde notum eſſe debet, aërem maiori, quam eſſe debebat, quantitate, ita nempe vt non in interſtitiis vel globulis haereat, ſanguini commixtum eſſe. Fit vero aër internus cauſa obſtruens, vel aucto eius elatere, vel ob minorem ſuam grauitatem ſpecificam.

§. 41.

Elatere ſuo aucto aër inteſtinalis omnia vaſa infimi ventris, ſpeciatim in parietibus inteſtinorum haerentia, anguſtare poteſt. Augetur vero elaſticitas eiusdem, vel per quantitatem, vel per calorem auctum. Quantitas eiusdem augetur, vel dimiſſione conſueta iſtius aëris, qui, durante naturali aſſumtorum concoctione et fecum productione, quotidie ex aſſumtis in cauum canalis inteſtinalis abit, impedita, vel ab aſſumtis alimentis facile fermentantibus, vt dulcibus, muſto, vino vel cereuiſia recente, vel putrescentibus, vt cepis, allio, raphanis, vel denique a ſpasmis inteſtinalibus, praecipue inteſtini coli: calor denique augetur, ab inflammationibus, praecipue magnis, inteſtinalibus. Eaedem hae cauſae ſunt ſimul ſigna obſtructionum ab aëre fientium.

§. 42.

Ob grauitatem ſuam ſpecificam minorem aër obſtruit vaſa minora, quia tantum parietibus non adhaeret quantum reliqua liquida ordinarie tranſeuntia, ſine qua adhaeſione nullus tamen tranſitus fluidorum per vaſa minima fieri poteſt. Haec obſtructionis vero cauſa cognoſci nequit, niſi aliunde conſtet, aërem liquidis noſtris commixtum eſſe; id quod in gangraenoſa humorum putredine fieri poteſt.

§. 43.

Mufculorum partem carneam obftructam effe, ex fpasmis, tendineam vero ex dolore in iisdem cognofcimus. Fiunt vero mufculi, quorum fibrae funt fpirales vel circulares, caufae obftructionum, vel ex fpasmo, vel ex paralyfi, vel ex nimia breuitate, vndecunque orta, quae per fe in fenfus fatis incurrunt. Posfunt tamen eadem vitia, in musculis quoque, quorum fibrae funt rectilineae, occurrentia, obftructionem dare, fi eorum actione vel fluida mouentur, vel partes molles, viscera praecipue, comprimuntur, quorfum flexores colli, musculi intercoftales, abdominis et lumborum flexores pertinent.

§. 44.

Partes molles omnis generis, quatenus funt parietes caui transmittentis, fiunt caufa obftruens et qua tales cognoscuntur, fi

a) praeternaturaliter, ex quacunque caufa, concrescunt: vt in coalitu palpebrarum inter fe, cum bulbo, tragi et antitragi, labiorum oris, vuluae, vrethrae praeputii, ani;

b) quocunque modo vulnerantur; in ipfis enim non folum labiis vulneris vascula minora obftruuntur, fed et ipfae partes vulneratae nec mouere, nec fine dolore cedere poffunt. Haec duo fenfibus per fe patent;

c) rigidae euadant; tunc enim parum vel non cedunt, vel fefe contrahunt. Cognoscuntur ex aetate fenili, potu deficiente, frigidis, vel admodum calidis, adplicatis, inflammatione praegreffa;

d) ato-

d) atonia laborent; tunc enim decenter mouere nequeunt. Ex vita ſedentaria, potu copioſo, praeprimis calido, flatibus diu retentis, extenſione violenta praegreſſa et temperamento phlegmatico, habituque obeſo vel tumido cognoscuntur.

e) magnitudo earundem quocunque modo p. n. crescat; vel enim cauum ſuum tunc replent, vel caua vicina comprimunt, vel vi extendenti, non cedunt. Haec tactu potiſſimum cognoſcitur.

§. 45.

Oſſa tanquam obſtructionum cauſae cognoscuntur, ſi vel luxantur, vel cum dislocatione franguntur, vel oſſa capitis, quousque ſunt mollia, deprimuntur tantum, vel praeternaturaliter excrescunt.

§. 46.

Peregrina interna obſtructiones producentia ſunt calculus, polypus, caro luxurians, peregrina in corpus delata.

§. 47.

Calculus plerumque aut in renibus aut in veſica occurrit. In renibus cognoſcitur calculus ex vrina diu cruda, ſiue tenui ſiue craſſa, ſubſequente dolore magno et in regione inter renes et pubem permanente, cum vrinae interceptione, et dolore ſubito ceſſante ſi vrina copioſa et turbida redit, cum qua ſaepiſſime ipſe calculus excernitur. Mictus quoque cruentus, praecipue poſt equitationem vel vectionem rheda, ſine vlceris vel plethorae ſignis adparens, calculum indicat. Calculus vero in veſica ex conatu perpetuo ad mingendum, mictione tamen vel ſummo cum dolore intercepta, vel ad-

 modum

modum difficili, guttatim tantum fluente et ardente, et praecipue tactu digitorum ano immiſſorum, cognoscitur. In aliis cauis ſi generentur calculi, vix niſi poſt mortem cognoscuntur.

§. 48.

Polypus narium viſu tactuque cognoſcitur. Bronchiorum polypus ex conſtanter quidem, lente tamen, crescente reſpiratione difficili, absque cauſa manifeſta, diuinatur potius quam certo cognoscitur. Cordis vero polypus, quousque paruus eſt, nullum plane ſui exhibet ſignum; maior vero factus ex pulſu paruo, debili, ſaepe intermittente, palpitatione cordis, ad motum corporis, vel vini potum paulo abundantiorem, creſcente, anxietatibus praecordialibus et lipothymiis cognoscitur.

§. 49.

Caro luxurians ex inflammatione quacunque praegreſſa et motu corporis cuiusdam tranſituri impedito probabiliter, protuberante vero tali luxuriante carne ex canali in quo haeret, viſu, vel etiam, in canalibus quibus digitus immitti poteſt, tactu certo cognosci poteſt. Peregrina vero in corpus ab extra delata eſſe, non niſi ex hiſtoria vitii praegreſſi ſcire licet. Peregrina quoque externa corpus eiusque vaſa ab extra comprimentia ſemper ſenſibus patent.

§. 50.

Obſtructiones, quibus cordis, pectoris vel cerebelli actio grauiter laeditur, omnes ſunt in ſe lethales; iſtae vero quibus viscera depuratoria laeduntur, alios grauiores, ex conſtitutione maſſae ſanguineae mutata, haud raro non ſanabiles, vel etiam lethales, inferunt,

mor-

morbos, vt hecticam, cachexiam, hydropem, vlcera omnis generis. Minores tamen obſtructiones ad vitam non abſolute neceſſariarum partium, absque vitae vel ſanitatis periculo diu durare poſſunt.

§. 51.

Molles materiae vel liquidae, per obſtructionem in quodam loco retentae, praeternaturaliter mutantur; humidae enim ſunt et ſalia continent. Salia ergo ab humido ſoluta contiguas reſoluunt partes, ergo his adhaerentia ſalia et lymphaticas partes a cohaeſione liberant; creſcit ergo numerus ſalium, ergo et horum actio, in loco obſtructo, i. e. motus inteſtinus oritur et materia ſtagnans mutatur. Varia eſt haec mutatio, tam ratione temporis, quo incipit et quousque durat, quam ratione qualitatis per mutationem productae, itemque ratione noxae quam corpus humanum ex hac mutata materia patitur; quia vero haec ad obſtructionem quatenus eſt obſtructio non pertinent, ſed vel ad aliam morborum claſſem, vel ſaltim ad tranſitum in alium morbum referuntur, de his ſpecialiter agere nobis non licet. Id tantum monebimus, quo plura ſalia materia ſtagnans in ſtatu naturali continet, et quo pluribus actionibus vicinarum partium, et quo magis calori vel aëri liberiori eſt expoſita, tanto promptiorem et grauiorem ſequi mutationem.

§. 52.

Omnis obſtructio recens facilius curatur quam inveterata, quia plerumque in principio nondum eſt magna, cauſa efficiens parum a ſtatu recedit naturali, materia ſtagnans nondum eſt corrupta, vel etiam non indurata, et vires corporis, ad expediendam ſtaſin neceſ-

ſariae, adhuc ſunt integrae, vnde etiam a medico, ſi neceſſe eſt, ſine periculo imminui poſſunt, et ſaepe alius tunc nondum iunctus eſt morbus, qui methodum medendi, ad expediendam ſtaſin neceſſariam, limitaret. Semper tamen difficilius tolluntur ſtaſes in vaſis anguſtioribus quam in amplioribus, itemque ſtaſes fluidorum ad coagulum pronorum quam minus coagulabilium; cohaeſio enim contenti cum continente in vaſis tanto maior eſt, relatiue ad vim quae materiam obſtruentem ex vaſe obſtructo expellere debet, quanto maior eſt ſuperficies vaſis relatiue ad capacitatem, i. e. quanto anguſtius eſt vas obſtructum. Eadem cohaeſio, hinc reſiſtentia, fit quoque maior, ſi fluidum ſtagnans cito coagulatur, non enim ſolum cohaeſio contenti cum parietibus creſcit, ſed et ſingulae particulae in loco obſtructo haerentes non poſſunt educi, quia plurimae nimis inter ſe cohaerent. Neruorum ergo et ſubſtantiae cerebri, praecipue medullaris, obſtructio, ob nimiam vaſorum anguſtiam, et ſanguinis in vaſis extremis ſtagnatio, quae per duos tresue dies iam durauit, difficillime curantur.

§. 53.

Difficilius quoque curantur obſtructiones quorum cauſa eſt vis vitalis vel phyſica imminuta, quam nimis aucta, citius enim robur imminui quam augeri poteſt. Plane vero incurabiles ſunt iſtae obſtructiones, quae ſunt a compreſſione vaſorum per ſolidum praeternaturale quod auferri nequit, et quae momentanee necant.

§. 54.

Vt tandem ad curationem quoque accedamus, prima obſtructionum cauſa, ratio nempe vitioſa inter

magni-

magnitudines corporis transmittendi et caui transmittentis, duas oſtendit indicationes; aut enim transmittendi magnitudo eſt imminuenda, aut caui transmittendi magnitudo eſt augenda. Prior quidem indicatio tunc potiſſimum eſt adhibenda, ſi transmittendum maius eſt quam pro ſtatu naturali eſſe debebat, altera vero ſi cauum naturali minorem habeat anguſtiam: in praxi tamen iſta potiſſimum magnitudo mutatur, quae facile, et absque magna ſanitatis laeſione, et cito, mutari poteſt.

§. 55.

Magnitudo transmittendi minuitur:

1) ſi ſolidum oblongum ſit, tali ſitus mutatione ſolidi vt diameter eius longa, cum axi canalis coincidat, id quod in foetu locum habet;

2) ſi ſolidum durum ſit; diuiſione eiusdem in partes, id quod obtinetur partim ſectione, vt in foetu, partim contrectatione lenta, vt in hernia incarcerata a fecibus induratis;

3) ſi feces ſint duriores in inteſtino recto vel colo, emollitione per clyſteres, itemque per purgans asſumtum; quod vltimum etiam in fecibus inteſtinorum tenuium valet;

4) ſi ſanguis grumoſus extrauaſatus ſit, vt ſi in veſica, pectore &c. haereat, iniectione decoctorum ex herbis amaris alcaleſcentibus, v. g. ſcordio, ſideritide, cichorio, hieracio, taraxaco, fumaria, chondrilla, perſicaria &c. ſi extrauaſatus in tunica adipoſa haereat, fotibus ex ſimilibus et neruinis herbis cum vino coctis, ſic enim reſoluitur et diluitur.

5) ſi

5) ſi fluida in vaſis quidem haereant, ſed ſint viſcida, ſpeciatim

a) ſi ſanguis ſit pituitoſus vel melancholicus, nitro, herbis neruinis in infuſo cum vino, ſuccis dictarum herbarum (nro 4.), perſicaria tamen excepta, puluere radicis bryoniae in aceto coctae ad ℈ß, puluere ſquillae compoſito ad grana v. zedoriae aliorumque aromatum, nitro antimoniato &c. in ſpiſſitudine vero ſanguinis inflammatoria, ſaponacea vegetabilia acida, vt mel, oxymel, interdum etiam oxymel ſquilliticum, cum ſufficienti aquae mucilaginoſae quantitate diluta, itemque emulſiones et ſerum lactis, viſciditatem corrigunt;

b) ſi ſerum ſit vel lympha, vel ſaliua viſcida, iisdem quidem (nro a) quibus tamen reſoluuntur ſal ammoniac. tartarus vitriol. antimon. diaphoreticum radix ari, pimpinellae, arcanum tartari, et, ſi acidum in corpore aegroti emineat, Eſſent. antimon. tartar. lignorum, cortex chin. chin. lap. cancr. conch. ppt. corallia; ſi ſpiritus deficiant, olea deſtillata cinam. caieput. caryoph. lign. ſaſſafr. vel ipſum decoctum lignorum ſaſſafr. guaiac. ſantalor. omnium; ſi ſalſedo viſcedinem induxit, aqua calida, vel ſimplex, vel cum radice ſiſari, raparum, ſcorzonerae, altheae decocta, addi et adhiberi poſſunt. In vtroque caſu (a et b) cantharides, tanquam veſicatorium adhibiti, egregium reſolutionis praeſtant effectum;

c) ſi bilis ſit viſcida, vel, lymphae et ſero commixta, haec fluida ſpiſſa effecerit, ſaponacea vel naturalia, quorſum ſucci herbarum, nr. 4. nominatarum, perti-

tinent, vel artificialia vt ſapo venetus, ſapo ex oleis deſtillatis et alcali fixo cauſtico paratus, ſalia alcalica fixa, praeſertim ope incandeſcentiae tantum, non flammae apertae, parata, immo, ſi calor maior vel putridus ſtatus iunctus ſit, ſaponacea acida, vt ribium, berberum ceraſorum acidorum ſucci, mel ſimplex, oxymel, interdum etiam oxymel ſquilliticum, reſolutionem partium климоſarum efficiunt.

d) Semen et ſpiritus, propter vaſa ſubtilisſima in quibus ſecernuntur, ſummamque, quam pro ſua praeparatione requirunt, fluidorum reſolutionem, et quia ipſa ſunt fluida alcalico ſulphurea, vel ſalia alcalica volatilia arte facta, quorſum etiam olea deſtillata pertinent, vel medicamenta ex vegetabilibus ſale volatili oleoſo praeditis, i. e. neruinis, parata, vel etiam cantharidum vſum deſiderant, ad cohaeſionem eorundem maiorem ſuperandam. Idem valet ſi reliquorum liquidorum ſpiſſitudo a ſpirituum defectu pendet. Immo, in iis hominibus qui duris aluntur cibis, carnium vel aliorum decenter conditorum ciborum vſus, omnia aromata, tam ſimplicia quam condita, ad remouendam viſciditatem ſufficiunt;

e) chylus denique coagulatus partim ab ipſa naturali affluente lympha et bile reſoluitur et diluitur, modo acidum coagulans per abſorbentia terrea, vt lap. cancr. conch. corall. ppr. auferatur, partim, ſi haec non ſufficiant, per pauca grana ſalis medii, vel alcalici fixi, vel olei aniſi tantillum reſoluitur, partim, ſi haec omnia non ſufficiant, leni purgante rhabarbarino educitur.

§. 56.

In obſtructionibus canalium minimorum per fluida viscida ideo quidem adducta remedia, praecedenti §pho commendata, parum prodeſſe videntur, quia ad minimos canales parum medicamenta accedere, et minor longe eorundem quantitas in vaſa obſtructa penetrare poteſt. At quamquam haec dubia optime ſint fundata, minime tamen oſtendunt, fruſtra dicta medicamenta in obſtructionibus minimorum vasculorum adhiberi. Multae enim obſtructiones, ex visciditate humorum ortae, non ideo ſunt conſtantes, quia eadem ſemper indiuidualis materia in iisdem ſubſiſtit, ſed quia nouae ſemper partes viscidae, in priorum, lente transeuntium, locum ex maſſa ſanguinea ſuccedunt, adeo vt obſtructio quidem adſit, quia fluidum non decenter ſed lente tranſit, nulla vero ſtagnatio. Minime igitur ad hanc obſtructionem tollendam neceſſe eſt, vt partes viscidae in vaſe obſtructo haerentes reſoluantur, tam exiguae enim ſunt vt ſponte tranſire, quamquam non decenter, queant, ſed ſufficit, modo aliae viscidae non ſequantur, id quod, correcta maſſa ſanguinea, per dicta medicamenta obtinetur.

§. 57.

Inter remedia viscidum reſoluentia referri quoque meretur motus corporis progresſiuus moderatus atque lenis frictio in partibus externis; vtroque enim motus progreſſiuus tam materiae obſtruentis, quam totius masſae ſanguineae, ergo huius motus inteſtinus atque reſolutio viscidi obtinentur.

§. 58.

Caua aliter quam per vim interioribus vaſis adplica-

plicatam et caua diſtendentem ampliora fieri nequeunt. Si vero nares, os, vaginam vteri, anum et vrethram exceperis, quae per inſtrumenta chirurgica, ſpecula dicta, dilatari poſſunt, pauca erunt quae viribus externis, ab intra cauis adplicatis, dilatari poſſunt. Reſiſtentiam igitur parietum cauorum imminuere tantum debet medicus, et contenta, naturali ſua vi praedita, dilatationem caui ſponte efficient. Ad hanc reſiſtentiam imminuendam adhiberi poſſunt.

a) frictio, quae, extendendo vaſa, horum parietes debilitat;
b) dropacismus, qui ſimili agit modo, vehementius tamen, quia cuticula minimum disrumpitur; qui tamen, ob dolores maiores et metuendam extrauaſationem et inflammationem, raro hodie adhibetur;
c) ſuctio, ſiue ore ſiue cucurbitulis facta, qua aëris externi preſſio remouetur.
d) obſtructio osculorum vaſorum obſtructorum, per blanda viscida oleoſa vel ſubacria, quibus fluidum contentum, modo adhuc in aliquali ſit motu, ſit magis presſum, ergo magis dilatans;
e) emollitio, ſiue per humida oleoſa ſiue per mucilaginoſa, ſub linimentorum, vnguentorum, emplaſtrorum vel ceratorum, fotuum, cataplasmatum, balneorum liquidorum vel vaporoſorum forma adplicata, obtineatur.

§. 59.

Altera obſtructionum cauſa, vitioſa nempe ratio inter vires mouentes et reſiſtentes, duas quoque dat in-

dicationes, vis nempe mouens iusto minor est augenda, et resistentia iusto maior est minuenda.

§. 60.

Vires mouentes esse spiritus animales, sanguinem atque musculos supra (§. 22.) iam ostendimus. Hae vires, si sint integrae, nunquam pro obstructione quadam expedienda sunt augendae, quia mutationes nimis magnae et haud raro noxiae, immo periculosae, in sanis non obstructis corporis humani partibus inde oriri solent. Paululum tamen, praecipue per remedia diaetetica, salua sanitate augeri possunt, quia constitutio, quae sanitatem dat, varia est et esse debet.

§. 61.

Si sanguinis culpa desit vis mouens necessaria, sanguis vel deficiet, vel qualitate, praecipue viscida, peccabit. Qualitas quomodo sit corrigenda §. 54. nr. 5. et §. 57. diximus, quantitas vero per eupepta alimenta, saepe, parua copia et iusculorum forma exhibita, restituitur.

§. 62.

Spiritus si tanquam causa mouens deficiant, aut deficient quia ex massa sanguinea non decenter liberantur, aut quia in neruis non decenter mouentur, ita tamen vt substantia neruea non sit compressa, hoc enim si sit, tanquam effectus quidem non vero tanquam causa obstructionis hic defectus esset considerandus. Si sanguinis culpa deficiant spiritus, eadem erit medela quam §. 61. proposuimus; si vero in neruis non decenter moueantur, praeter motum corporis, frictiones, cucurbitulas, vrticationes scarificationes, omnia sale volatili vel sale volatili oleoso praedita, vt spiritus salis ammonia-

ci,

ci, ſal volat: oleoſum Syluii, balſama ſic dicta vitae, Eſſ. lign. aloes, carminat. Wedelii, ſpirituum motum augent, ſiue interne ſiue externe adhibeantur. In vtroque caſu aromata maſticata, itemque ſuaueolentia naribus adplicata, proſunt: irritant enim, et ſanguini, partim in ventriculo partim in pulmonibus, miſcentur.

§. 63.

In muſculorum ſubſtantia aut tonus phyſicus nimis auctus, aut atonia, aut ſoluta vnitas ſunt cauſae virium mouentium imminutarum. Prius, praecipue ſi ex aetate ſit adulta, vix medelam admittit, quia minima vaſa fere omnia in fibras ſunt mutata, et ſic acceſſum medicamentorum emollientium ad partes internas excludunt: Alterum vero, praecipue ſi particularis ſit atonia, prudentem deſiderat curam, talem nempe qua ſanae partes non ſtringuntur, dum debiles roborantur, vnde diu protrahitur, et maximam partem per diaetam obtinetur. Euitanda igitur ſunt omnia quae debilitant, vt aër humidus, motus aeque ac quies nimia, cibus quantitate excedens vel deficiens, qualitate viſcidus durus vel humidus, omnis potus calidus, immo omnis alius quem ſitis non deſiderat, vigiliae aeque ac ſomnus nimius, animi pathemata deprimentia, ſtudia quae animi attentionem deſiderant, et fecum, flatuum vel vrinae retentio. Sic optime et eo modo roboratur pars debilis, quo omnes homines fiunt robuſti. Ligaturis etiam, vbi conuenit, parti debili ſuccurrere debemus, ne vel proprio pondere, vel aliis, quae euitari nequeunt, viribus extendatur. Externe ſpiritus vini, ſpiritus cochleariae vinoſus, immo alia corpora frigida, haec tamen interdum tantum et per breue tempus adplicata,

 pro-

prosunt. Interne omnia ex aromaticis parata medicamenta leniter stimulantia et humidum dissipantia, itemque martialia parua dosi intermixta, intentioni satisfaciunt. Vnitas soluta secundum leges artis curanda est.

§. 64.

Quamquam membranae et ligamenta proprie ad vires mouentes non pertineant, sed tantum ad resistentes, debilitas tamen eorundem causa, et contractio ex tono aucto remedium obstructionis esse potest, et membranarum debilitas iisdem (§. 63.) remediis curatur; quibus lenis frictio, tam pro diuidenda quam pro mouenda materia stagnante, addi potest, nisi dolor et inflammatio maior obstent.

§. 65.

Vires, quae resistendo obstructionem vel efficiunt, vel saltim curam obstructionis impediunt, sunt vel partes fluidae vel solidae. Fluida vel copia sua maiore, siue in vasis moueantur siue stagnent, et haec, siue naturali adhuc gaudeant constitutione, siue coagulata vel corrupta sint, vel impetu maiore id efficiunt, id quod sanguini potissimum competit. Solida vero nostra vel naturalia sunt vel praeternaturalia. Naturalia solida, dum obstructionem resistendo efficiunt, vel in suo loco manent, vel id efficiunt quatenus suum naturalem locum mutauerunt. Ea quae in suo loco manent vel solo suo naturali robore, vel quatenus sunt magis rigida vel magis stricta; solida vero praeternaturalia vel magnitudine sua replendo caua quibus insunt, vel comprimendo vicina, tam ex magnitudine quam pondere, vel irritando vasorum parietes, tam horum, quam etiam connexarum partium per consensum, producendo stricturam, ad obstructiones, tanquam causa, vel tanquam impedimentum sanationis concurrunt.

§. 66.

Si sanguis copia vel impetu peccet, arteriotomia, venae sectione, scarificatione, vel hirudinum adplicatione corrigi potest; immo, si tempus et aliae circumstantiae concedunt, fame, vel diaeta tenui et nitro. Si serum vel lympha copia peccet, purgatione potissimum, itemque sudore, saliuatione et diuresi, quantitate imminui potest.

§. 67.

§. 67.

Si ſanguis ſtagnans reſiſtendo obſtructionis curationem impedit, praeter remedia contra ſanguinis impetum commendata, fotus ex herbis neruinis, alliaria, cochlearia, ſedo, opuntia, cum vino, vel ſolo vino calido, vel ſpiritu cochleariae, matricali, vini camphorato cum vel ſine myrrha, et, ſi tumoris imminutio atque emollitio diſcuſſionem maximam partem peractam eſſe indicant, emplaſtrum ſticticum, reſoluendo ſanguinem ſtagnantem, reſiſtentiam eiusdem minuunt. Quodſi his remediis intra biduum deſideratus effectus non obtineatur, cataplasmatibus, fotibus et emplaſtris emollientibus vaſculorum obſtructorum reſiſtentia eſt imminuenda, vt per affluentem lympham ſanam corporis aegroti ſanguis ſtagnans in pus mutetur, vel arte chirurgica trepanatione nempe vel paracentheſi auferatur.

§. 68.

Si ſerum, lac vel lympha in partibus ſtagnet glanduloſis, haec reſiſtentia emplaſtris emollientibus et blande reſoluentibus, ex empl. diachyl. de melilot. ſpermat. ceti, camphora, croco, itemque gargariſmatibus ſimilis virtutis, imminuitur; ſi vero ſerum vel lympha in tunica ſtagnent adipoſa, vel in cauis ſint extrauaſata, et ligaturae, ſuffitus, reſoluentia interna, (§. 55. nro 5. b) atque purgantia non ſufficiant, cutis et tunicae adipoſae ſcarificatione reſiſtentia eſt imminuenda, vel paracentheſi fluidum eſt euacuandum. Sacci quoque pus continentes apariendi ſunt ſi fieri poteſt, vt pus comprimens remoueatur.

§. 69.

Solida naturalia, quae loci mutatione vaſa comprimunt, ſunt oſſa luxata atque fracta, hernia, vterus deſcendens vel prolapſus, itemque trunci ſitus antrorſum incuruatus. Hae vires reſiſtentes alio modo, quam oſſium, herniarum et vteri repoſitione in locum naturalem, manu chirurgica, et ſedendo ſitu corporis erecto, praecipue ſuper ſcamnum quod comprimi nequit, quo femora non ſurſum verſus abdomen premuntur, et anus non comprimitur, remoueri neque-

nequeunt. Compreſſiones quoque, quae a ligaturis fiunt, non niſi faſciarum remotione auferuntur.

§. 70.

Solida naturalia ſi magnitudine et pondere ſuo comprimant, vt foetus, quousque remoueri vel ſaltim ſitus foetus mutari nequit, obſtructiones dant non curabiles; quorſum pertinent varices pedum, neruorum ad pedes abeuntium itemque colli veſicae compreſſio. Situs tamen corporis mutatus leuamen dat.

§. 71.

Siue ſolida naturali ſuo robore, ſiue tanquam rigida, ſiue tanquam ſtricta et irritata reſiſtant, eorum reſiſtentia aut emolliendo per cataplasmata, fotus, vnguenta, linimenta, emplaſtra, ſparadrapas, balnea humida, praecipue vaporoſa, clyſteres, gargarismata, aut per cucurbitulas et ſcarificationes minuenda eſt. Vbi notare debemus, minime neceſſarium eſſe, vt reſiſtentiam minuens remedium ipſi loco obſtructo ſemper adplicetur, ſed, ſi vaſa, ſiue ſanguinea ſiue neruea, irritata ſtricta et tunc in quadam parte noſtri corporis obſtructa ſint, tam vicina quam remota vaſa optimo euentu emolliri, ſi ad locum adfectum proxime accedere non liceat: Sic cerebro obſtructo et vaſis ſimul irritatis, non gargarismata ſolum ſed et clyſteres et pediluuia egregios ſaepe praeſtant vſus: cohaerent enim haec vaſa per totum corpus.

§. 72.

Solida praeternaturalia ad quae accedere licet, vt polypi narium, carnes luxuriantes in ano, calculus veſicae, ſcirrhi externi, exoſtoſes, arte chirurgica ſunt remouenda. Calculi renum et vreterum minores, imminuta naturali et ſpasmodica parietum reſiſtentia, per clyſteres, pediluuia emollientia et anodyna prudenter adhibita, vt plurimum facile in veſicam descendunt: calculi vero maiores, aliaque praeternaturalia ſolida, viscera interna comprimentia, cum eorum ſtatus raro decenter cognoſcatur, vel medela non ſine maximo vitae periculo ſuscipi queat, obſtructiones ordinarie, quamquam interdum lente, lethales inferunt.

❀❀)o(❀❀

CLARISSIMO DOCTISSIMOQVE
MEDICINAE DOCTORANDO

IOH. BERNH. GOTTSCHALCK BECKER

S. P. D.

PRAESES.

TANTA eſt rerum in arte medica addiſcendarum, et tanta aliarum, ad medicinae perfectionem neceſſariarum, diſciplinarum copia, vt vita humana, teſte Hippocrate, ad artis huius longae perfectam cognitionem haud ſufficiat. Bene igitur rebus conſuluiſti Tuis, cum pluribus annis et in variis academiis laudabilem diligentiam, arduo huic ſtudio dederis. Gratulor hinc Tibi tam eruditionem acquiſitam quam honores doctorales mox obtinendos, Deumque precor velit porro ſtudiis Tuis benigniter adeſſe et actiones Tuas in ſui gloriam multorumque aegrotorum ſalutem, per longam annorum ſeriem, dirigere. Vale. dab. d. VII. Maji MDCCLIII.

* * *

NOBILISSIMO

DOMINO DOCTORANDO

S. P.

CAROL. FRID. KALTSCHMIED, D.

Diligentia æque ac vitæ integritate hactenus nobis probatus vtique ingens Tuorum gaudium ex decore honorum Doctoralium mox capeſſendorum nobiscum eſt commune. Communia quoque ſunt vota noſtra cum iis pro Tua perpetua corporis animique integritate. Si quid votis ſuperaddendum eſt, ingenua mente Tibi quoque apprecor, ut et communis felicitatis cum ſanitate corporis Tibi longisſimus maneat uſus. Vale. Jenæ 1753. die 1. Maji.

CLARIS.

* * *

CLARISSIMO MEDICINAE DOCTORANDO

IO. BERNHARDO GOTTSCHALCK BECKER

SCHAVMBVRGICO

S. P. D.

IOANNES CHRISTIANVS STOCK,

H. T. FACVLTATIS MEDICAE DECANVS.

Per omne, quo, CLARISSIME DOCTORANDE, in musarum castris apud nos desudasti, tempus TE pietate, industria, modestia et optima quaque virtute semper fuisse conspicuum, et ea propter summos in arte salutari honores, omniaque cum his coniuncta iura ac priuilegia ceu virtutis et eruditionis dignissima praemia, mox a me TIBI ex ordinis mei decreto conferenda esse, vehementer gaudeo, ac gratulabundo animo summum omnia felicitatis humanae Auctorem supplex veneror, vt constantem TIBI mentis et corporis vigorem ad Nestoreos vsque annos clementissime concedat, omnibusque conatibus TVIS ita adspirare velit, vt cedant in Diuini Nominis sui gloriam, in reipublicae commodum, TVAM ipsam multorumque aegrotorum salutem. Vale et me amare perge. Dabam e museo VI. Iduum Maii A. R. S. ∞ IↃCCLIII.

* * *

VIRO PRAENOBILISSIMO NEC NON PRAECLARE MERITO

MEDICINAE DOCTORANDO

S. P. D.

IOH. CHRISTOPHORVS TANNENBERGER

MED. DOCT.

QVAMQVAM iuuenes ſemper magna ſpectare, et ad ea rectis ſtudiis contendere deberent; tamen vita hominum ſic eſt, vt potius in ſummo errore et maximarum virtutum neglectu aetas agatur. Requiritur itaque ad vitia huic aetati familiaria emendanda bona educatio, per multum quippe poteſt indoles rite nutrita fauſtis penetralibus, ac omnino inſitam naturae et pectoris bene nati vim iuuat erigitque recta inſtitutio, et in maius meliusue prouehit. Eiuscemodi enim ingenia de ſe magnifice non ſentiunt, ſed agnoſcunt infirmitatem ſuam, eo ipſo vero ſtudioſe ſequuntur ea, ex quibus vera gloria naſcitur, vt de iis ſemper quam ornatisſima bonorum honeſtorumque virorum intercedant iudicia, atque iis honores deferantur maxime meriti, cum praemia virtutis cum improbis communicari et cum mediocribus hominibus peruulgari non oportet. Omnia haec in TE occurrunt, VIR PRAENOBILISSIME, quoniam ſemper magis ingenio quam virium opibus gloriam quaeſiuiſti, virtutemque claram aeternamque habuſti; hinc ab erroribus euidentibus alienus bonam per educationem accuratiſſimam ac ſolidiſſimam inſtructionem academicam ingentes animi TVI dotes eo in gradu accumulaſti, vt, quia adimpleuiſti omnium opinionem, atque ſatisfeciſti expectationi Facultatis Gratioſae Medicae et in examinibus et in erudita diſſertatione inaugurali, TE Doctoris gradu tanquam virtutis decore honeſtare et ornare iam non erubeſcant. Extendas in poſterum factis egregiis famam

mam PRAECLARE MERITE MEDICINAE DOCTORANDE, quod eſt virtutis opus, ornes gratiam corporis eruditionis ſtudiorum ac morum honeſtamento, auertat diuinum numen a TE omnia mala ac temporum iniquias, accedas magis in dies ad ſenſum et voluntatem magnatorum, nec non eruditionis principum, vt amplius obtinere valeas maiora praemia atque gratiam. Id TIBI confirmo in meque recipio nouam dignitatem TVAM, quam ex animo TIBI gratulor, mirificam apud me voluptatem excitare, nihil eſt enim tantum, quod ego non TVA cauſſa debeam, facturusque ſim cum ſtudioſe ac libenter. VALE.

CLARISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

DOMINO DOCTORANDO

AMICO SVO HONORATISSIMO

S. P. D.

EMAN. WVNDSCH, Mariaeb. Pruſſ.
Med. Ddus, OPPONENS.

Eum, quem TIBI debeo, Clariſſime Domine Doctorande, amorem publice teſtificandi, non vna mihi eſt cauſa. TVI enim animi ſinceritas, ingenii TVI pulcritudo, amor virtutis, morum denique ſuauitas, atque humanitas TVA, qua cuilibet es obuius, ſatis iuſte effecerunt, vt non potuerit fieri, quin TE ſemper ſincerrime amarem. Verum habet id amicitia, his innixa fulcris, vt ſenſum quendam ac voluptatem percipiat ex eorum, quos amat, felicitate. Perſuadeas hinc TIBI velim, Clariſſime Domine Doctorande, inſigni me adfici laetitia, quum et mihi nunc liceat honores TIBI gratulari mox abs TE capeſſendos. Accipe igitur eosdem, praemia et virtutibus, et meritis TVIS digniſſima atque vt his cuncta felicia et proſpera iungi Numen ſupremum iubeat ex animo precor. Diutiſſime tandem

vtaris his diligentiae ac eruditionis TVAE fructibus dulcissimis sincerrime opto. Quod reliquum est, rogo, vt me TVAE amicitiae, Tuoque amori porro commendatum habeas. Vale! Dab. Ienae. die XII. Mai. MDCCLIII.

Glaubst Du es Edler Freund daß ich Verdienste schätze,
So glaubst Du daß der Tag da Dich der Purpur ziert
Und Deinen Schweiß belohnt, mich unbeschreiblich rührt
Wohlan so glaube dies mein Will ist Dein Gesetze.

Hierdurch wollte Sr. Hochedlen dem Herrn Doctorando, bey Ubernehmung der Doctor-Würde, ergebenst Glück wünschen und sich zu fernerer Gewogenheit gehorsamst empfehlen

G. F. Stuß,
aus Jena, OPPON.

CLARISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DOCTORANDO
DN. IOH BERNHARDO GODESCHALCKO
BECKERO,
AMICO SVO AESTVMAISSIMO
S. P. D.
CHRIST. FRIDER. JAMPERT, Berol. M. C.
OPPONENS.

Quam manca adhuc sit in rebus experientiae cognitio nostra, quilibet naturalium euentuum cupidus scit. Nil enim tam est arduum, quam rerum inquirere tum omnes tum veras causas; et dum omnia sufficienter per-

spexis-

ſpexiſſe credimus, ex poſt demum errores abundanter pateſiunt. Nullibi meliora horum dictorum exempla occurrere, mihi ſaltim videtur, quam in ſalutari arte. Ibi enim mere circa effectus et cauſas verſamur, et ibi ſaepiſſime exempla offendimus, vbi longe alienum quid, pro cauſa vel effectu venditatum ſit. Proſtant quidem et in aliis ſcientiis tales erronei caſus, ſed in medicis ſcholis optime cognoscuntur, quia euentus, ſi prognoſi ſperatisque medici contrariatur, mox errores promulgat, in aliis vero magis latent hi effectus. Cauſam huius ignorantiae duplam eſſe poſſe Logica docet: haeret enim vel in nexu cauſarum cum effectu nimis abſcondito, et noſtris viribus plane non reſolubili, vbi abſoluta dici poterit, vel in medico, artis noſtrae principiis minus ſufficienter inſtructo, quae relatiua dici meretur ignorantia. Obiicere poſſes datur tertium adhuc, nempe posſibile eſt conſtare quaeſita, ſed media ſufficientia, quia nobis deſunt, quorum ope ea cognoscamus, ideo adhuc latent, forſan vero aetas futura ea detegat. Reſponſio eſt in promtu. Oblatus caſus ad relatiuam pertinet ignorantiam, ſi modo placet ita diſtinguere, ignorantia vel adeſt medici culpa, vel ſecus; poſterius membrum dubium motum continebit. Ex his dictis ſic argumentari licebit. Quo maius datur acumen ingenii medici, eo minor erit relatiua ignorantia, et contra. Acumen vero hocce, vix a natiuitate tale nobis competit, contra frequentiori exercitio acquiritur, intenditur. Quo frequentius vero exercitium eſt inſtitutum, eo maior datur habitus, et quo longius datur tempus, quod inſtituendis his exercitiis eſt impenſum, eo perfectior erit habitus, poſitis reliquis ponendis. Haec TE Doctorande, Amice inter praeſentes omnium vetuſtiſſime dilectiſſime minime latebant, ideo factum credo, TE tam ſedulo et per tam longum tempus ſtudiis incubuiſſe medicis, vt eo maiorem et perfectiorem acquireres habitum, de phaenomenis obuiis rite iudicandi. Neque ſine fructu fuiſſe labores TVOS, ſaltim hodiernus dies luculenter probat, vbi patres Medici ienenſes conſcripti Illuſtres et Excellentiſſimi ſummis TE

exor-

exornare honoribus academicis decreuere. Gratulor hosce honores ex animo. Quaeuis prospera et salutaria opto precor. Ita TIBI omnia succedant; vti diligentia impensa et integritas vitae TVAE illa merentur. Et cum de animi probitate et amicitia TVA sat conuictus sim, vix operae pretium esse videtur, me TIBI denuo de meliori commendare. Quod me attinet polliceor, nunquam me talis amici obliturum iri, et si fieri potest idem a TE expectabo. Vale. Dabam Ienae die XII. Mai. 1753.

H Freund, erschrickst Du nicht, und wanckt nicht schon Dein Muth,
Da Dich die Stunde ruft, Dich öffentlich zu zeigen?
O nein, Du hast nur noch die Stufe zu ersteigen,
Denn singt Dein reger Fleis, denn schmückt Dich Ring und Hut.
Ich sehe Dich erfreut den Ehrenkranz erringen,
Dein Glück entzückt mich ganz, Du schwächst Morbonens Kraft,
Die Kranckheit weicht, sie sey auch noch so dauerhaft,
So seh ich Dich im Geist ihr schädlich Gift bezwingen.

Dieses schrieb bey Gelegenheit gegenwärtiger gelehrten Streitschrift des Herrn Doctorands alter und getreuer Freund

C. A. Förtsch,

aus Lübeck, als Opponent.